B. N. Cᵀ
FIRENZE
1158
4

1158 G

Digitized by Google

1158.4

VII

KUBEL

CI

IACOBI KVBE-
LII. LL. DOCTORIS

Elegia in fine continens VA-
TICINIVM.

AD LECTOREM.

Perfacile eſt, inquis, quenꝗ perſtringere amaris
Verſibus, ingenui carpere & acta uiri.
Aſt ego non hominem, ſed mores mordeo noſtri
Temporis, & quæ ſunt iure notanda noto.

M. D. XLVII.

BIBLIOTHÈQUE NATIONALE 1872

1155.4

AD REVEREN- DISSIMVM IN CHRISTO

patrem, et dominum, dominum Mauritium Eyſtadianæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Herbipolitanæ Præpoſitum, dominum ſuum Clementiſſimum, Iacobus Kubelius. LL. Doctor.

Suſcipe uerſiculos, quos feci maxime Præſul,
Milite cum dubio gens tua preſſa fuit.
Carolus ut Quintus ſi non pro relligione,
Pro tamen arma focis, pro patriaque tulit.
Hoſtis & Angelicas quateret dum fulmine turreis,
Vallaque Cæſarea fabrificata manu.
Heu ubi Danubius Boiorum ludit in agris,
Iſtreideſque deæ littora docta colunt.
Valla Vuilibaldi heu nimium uicina colonis,
Valla tamen proprijs anteferenda focis.
Hæc inquam placido Mecænas accipe uultu
Carmina, præſidio non niſi tuta tuo.
Sunt etenim triſti, Genio tamen edita dextro,
Ex tripode á Clario ſic mihi dicta deo.
Quare ſi quid habent uitiorum oracula noſtra,
Hæc pro temporibus conſule, quæſo, boni.

Omnia

OMnia plena malis, gemitu, luctuque, dolore,
Et quocunque feror, cuncta referta dolis.
Non pietas, non cara fides reperitur in orbe,
Amplius Astraeæ nullus in orbe locus.
Omne ſed in uitium ruimus, uir, fœmina iuxta
Edocti iuuenes, nequitiamq; ſenes.
Vtile fucatum pulchro præfertur honeſto,
Iudicio ſenſus prædominatur iners.
Nec proceres ullo recti diſcrimine uiuunt,
Delirantque graues cum ratione uiri.
Impetus, ira, furor, ſtolidæque inſania mentis,
Principis imperium pro ratione gerunt.
Fœnus, et uſuræ potiuntur rebus ubique,
Omnia diſpenſat Ditis auara manus.
Arbitrioque ſuo modo dat, modo tollit honores,
Ex fatuo regem ſi libet illa facit.
Illa tribunali (res turpis pene relatu eſt)
Præſidet, & ſanctis faſcibus illa præeſt.
Officioque boni, ſapientis, & omnia iuſta
Penſantis trutina fungitur illa uiri.
Nec minor eſt uirtus ſummis obtrudere palpum
Principibus, ſola hac arte placere potes.
Nec paraſytorum magnis uerſatur in aulis
Regibus ulla magis ſuſpicienda cohors.

Hæc ſecreta ſapit, cum præter inania uerba,
In ſtolida non ſit mica cohorte ſalis.
Publica pernities, & rerum publica peſtis,
Hæc hominum fex eſt inſidioſa lues.
Qua non principibus magis eſt fugienda uel ulla,
Qui ſibi conſultum, qui pepulaq; nolunt.
Sed leuis ambitio, ſed uana ſuperbia quos non
Vexat, amorq; ſui non ſatianda ſitis.
Faſtus ineſt inopi, criſtaſq; attollere egeni
Incipiunt, miſeri deſpitiuntq; ſuos.
Incipit á teneris (ut dicitur) unguibus infans
Balbo ore in ſuperos impia uerba loqui.
Erudiuntq; ſuos ſic blaſphemare parentes
Filiolos, nempe eſt uanior ipſe parens.
Quem neq; mens æqui, nec iniqui conſcia tangit,
Sed qui nunc ſuperos, nunc Phlegethonta mouet.
Quodq; fuit iuueni prius alea dedecus ingens,
Virtutis meruit nomen habere bonum.
Ingluuieſq; gulæ, Venus inconceſſa, libido
Cœpit & humanum prodigioſa genus.
Omnes luxuriæ ſumus addictiq; nepotum
Delitijs, operam deſidiæq; damus.
Rebus & anguſtis poſitis miſeratio nulla eſt,
Quæq; leuet miſeros, proxima nulla manus.

Tuta

Tuta fides nuſquam eſt inter quoque ſanguine iunctos,
Quilibet alterius fata ſub enſe gerit.
Nec pater á gnato, gnatus non á patre tutus,
Inſidias uitæ tendit uterq; ſuo.
Et perimunt fœtus teneros, ſua uiſcera, matres,
In culeo ſue ſuos dira nouerca necat.
Et ſoror, & frater fraterno ſanguine gaudent,
Agnatoq; madet iuncta cruore manus.
Quin quos una caro certe coniunxit amore,
Alterno inter ſe uulnere ſæpe cadunt.
Præſertim uetulæ tardantia fila maritus
Coniugis ante diem rumpit, at illa uiri.
Omnis amicitiæ reuerentia ſancta receſſit,
Nullus amor, niſi quem Vina, Venuſque parant.
Et tamen his cœlum petimus, ſine munere Bachi,
Et Veneris quando uiuere nemo poteſt.
Hinc tua Bache bibit pleno cum gutture muſta
Ruſticus, & Paphiæ militat omnis anus.
Hinc utrunq; uago modo parte ab utraq; reſoluat,
Vtere concubitu, iam Cytheræa beat.
Indulge & Genio, ſic ſtat ſententia noſtri
Temporis, & ſectæ, ſanguis, & oſſa ſumus,
Et deus eſt, qui noſtra luit commiſſa cruore,
Neu dubita, Elyſij porta recluſa patet.

Non eſt flagitium, ſed uirtus fallere, uirtus
Eſt ſocium ſocio iam dare uerba ſuo.
Fraudis & expertes ſimulata ludere mente,
Non fraus ſed laus eſt indolis illa bonæ.
Qua modo non ſolum doctus mercator in arte eſt,
(Quem merx ipſa probum non ſinit eſſe uirum)
Ruſticus hanc didicit qui mille excogitat aſtus,
Vt fallat dominum decipiatque ſuum.
Crede mihi doctis olitori imponere dictis,
Artis erit magnæ, ſit licet ille rudis.
Contra quem dominus leuis ob commiſſa furoris
Torquet, & excoriat, dum grauiora ferat,
Inſontemque trucis Syculi de more Tyranni
Sæpe Perillæo torret in ære reum.
Tam ſumus in uitium proni uirtute relicta,
Atque adeo rebus non modus ullus ineſt:
Dente Theonino cuius non lædis honorem
Liuor edax, & tu lingua animoſa dolis?
Inuidiæ cumulus montes ſupereminet omnes,
Vertice fert is iam ſydera ſumma poli,
Solus habetque ſuas qui tanto in turbine rerum
Delitias oculo candidiore notet,
Huic etenim riſum ærumnæ, uiſique dolores,
Exitium, clades, interituſque mouent.

Inno-

Innocuique uiri læto tabeſcit ab ore,
Qualem uix toto proſpicit orbe uirum.
Luxus, & inuidiæ ſtimuluſque, elatio mentis,
Atque alienarum maximus ardor opum.
Tum fera libertas, & non punita nocendi
Copia, tum fictæ relligionis amor.
Nec non doctrinæ ſolidæ perſuaſio fallax,
Materiam uitijs omnibus illa parant.
Offundunt animis & tantum noctis opacæ,
Vt uelut ad ſolis lumina uiſus, habent.
Senſibus ut ratio ſua ceſſerit omnia iura,
Vt uerum á falſo cernere nemo queat.
Iam metus, atque timor, iam matronalis honeſtas
Sunt, ubi uirginitas? uirgineuſue pudor?
Nullibi, ſeu certe ſi ſunt, tunc pauca ſuperſunt
Signa modo, quæ uel rara pudoris erunt.
Illorum ſiquidem perfrictæ frontis imago,
Fucus & in toto corpore, ſede cubant.
O fœdum facinus, diuinum imitantia uultum
Ora creatoris diſsimulare dei.
Perſonamque rei perituram obducere ueræ,
Tanti opus artificis uelle nec eſſe ſui.
Crede mihi, faciem quæcumque colore puella
Illinit, externo proſtat & ipſa uiro.

Digna

Digna nec eſt oculis cœli conuexa tueri,
Aethereiq; capax aſpicere orbis opus.
Temporis at noſtri quis digne ſcripſerit æſtus?
Et ſectas hominum quis numerare uelit?
Scinditur in plures numeroſa licentia ſenſus,
Aere quam uacuo corpora parua uolant.
Truditur & uitium uitio, ceu pellitur unda,
Fluctibus Aeolijs exagitata notbis.
Cæſtus, adulterium, periuria, furta, rapinæ,
Proditio patriæ, ciuica bella, furor,
Libera ſunt etiam legum á formidine pænæ,
Iuſta nec æterni iudicis ora tremunt.
Dicis, & hæc olim populum uexabat Erynnis,
Moribus bis ætas ſic prior uſa fuit.
Sunt quædam fateor priſci contagia ſæcli,
Quæ ferri ſapiant tempora nata prius,
At non crediderim morborum examina quondam
Et noua tot noſtris incubuiſſe plagis.
Adde, quod antiquis ſpiſſa in caligine merſis,
Spes rata perpetuæ nulla ſalutis erat.
Nec ſibi poſt obitum, ueteres niſi digna prophetæ
Præmia pro facto propoſuere ſuo.
Sed noſtrum facinus nulla ratione tuetur,
In media cæci nos quoque luce ſumus.

Nitimur

Nitimur in uitium, & uitæ præponimus ultro
Exitium, ad ſtygias nos properamus aquas.
Auctio diuinæ quid enim patrare ueretur
Sancta rei? quod non contrahit illa nefas?
Omnia pro libitu detorquet iura piorum
Pontificum, canones utilitate probans.
Elyſios campos, & cœlos erogat auro,
Iuppiter illius ſub ditione iacet.
Unde probus, doctuſue, pius non quæritur an ſit,
Qui populo á ſacris præficiendus erit.
Dummodo ſit numerus magna completus in urbe,
Sacrificûm decimas dummodo rura colant.
Et tantum labijs ſuperos ſine mente fatiget
Nomine, ſed non re dedita turba deo.
Hinc regit antiſtes poſtponens ſacra prophanis,
Omnibus hinc cleri libera uita placet,
Eligiturq́; potens, ſed non ſine crimine præſul,
Crimine ſed noſtro tempore nemo caret,
Exercetq́; dolos minimus, ſummuſque ſacerdos,
Omnis auaritiæ, luxuriæq́; ſtudet.
(Ut quondam cecinit diuino percitus œſtro, Cap. 6.
Ieremias populum corripiendo ſuum)
Mammonis obtinuit quoniam ſceleratus habendi
Ardor, & in ſacra re quoq́; ſacra fames,

Et lucri bonus eſt odor ex re qualibet: ergo
  Dum meliora probo, deteriora ſequor.
Inde ſuperſtitio eſt, quæ quanta piacula condat
  Veſte ſub agnina, res manifeſta patet.
Hæc duo tot ſectas pepererunt hæreticorum,
  Quot nobis peperit priſtina nulla dies.
His tamen egregijs eccleſia nixa columnis,
  Ipſa ſuper niueis pulla triumphat equis.
Degener interea cum grex corrumpit ouile, &
  Incuſtoditæ dilaniantur oues.
Vix Petro ſupereſt fragilem inſtaurare carinam,
  Tutus ut æquoreis fluctibus eſſe queat.
Vndiq; tot Ceti, Phocæ, uitulique marini,
  Tot quatiunt Syrtes, Scylla, Charibdis eam.
Lucra pios faciunt, lucrum ſi dempſeris aræ,
  Exiguo diuûm tempore phana ruent.
Sed quid Phana ruent? quot iam cecidere ſupremi
  Templa dei? ſed quid templa, quid ara? nihil.
Sacra ruunt nihil eſt, Sunt diris illa nefandis
  Qui ſub prætextu relligionis agunt,
Ludibriumq; uocant ſummi quæ iura miniſtri
  Quæ ſtatuere patres, quæ deus imo tulit.
Imo ſuo ſanctos parto cum ſanguine honore,
  Maieſtate ſua deſtituuntq; Iouem.

Tolle

Tolle bonos mores, paſſim ſubſellia clamant,
Tolle pios ritus, roſtra, ſorumque ſonant.
Tolle ſacerdotes Romana lege creatos
Omnia Pontifices pulpita tolle boant.
Nil opus eſt precibus, nulla uirtute parantur
Regna dei, quoniam ſufficit una fides.
Sola fides ſatis eſt rictu promiſſor hianti
Alta á ſede tonat, cætera mortis erunt.
Vt quamuis decies hora repetatur eadem,
Illa ſubinde tamen uox repetita placet.
Purus & eſt ſermo Chriſti, licet æſtuat ore
Impuro tantum ſic ſine lege furor.
En modo qui fuerant mangones, & balatrones,
Sacrilega tractant, ſi modo, ſacra manu.
Sis quicunque uelis, ſatis eſt tua cognita uirtus,
Si culpare probos, ſi pia facta potes.
Relligioſorum collegia ſi uel opima,
Iure bonis quod ſint deſtituenda probas.
Aut æquanda ſolo domus ut diuina ſit imo,
Quæ non obſcœnis uſibus aptá ſuum eſt.
Vrbis & in uallum uertenda altaria ſuades,
(Ditis opus) recte, ſic tua dicta placent.
Heus potes eſſe nouæ pater & ſpes tertia Romæ,
Solus & (ut clamant) eijcere urbe Petrum.

Tuncq; oritur plauſus, repetitaq; dicta reportat
Echo, iuuatque ſimul tunc abolere Papam.
Tunc tibi quiſque caue monache occurſare furori,
Indutus niueo ſtamine, ſiue nigro.
Ne te Bacchantum trieterica ſacra frequentans
Obruat inſano numine plena cohors.
Ac uelut Ogygij Pentheus contemptor Iacchi,
Agmine fœmineo diripiaris aper.
Nam furit haud aliter petulans concordia fratrum,
Hortus habet quorum nomina ſcripta procax.
Quam quondam fremuit Cybeles Corybantica turba,
Per iuga per ſcopulos auia luſtra petens.
Talia principibus cur & conuicia uulgo
Grata rogas, cauſa eſt, gratus utriſque furor.
Quem tantum exagitant alieno parta labore,
Alteriuſque rei non toleranda fames.
Qualis enim dominus, talis ſolet eſſe miniſter,
Qui ſeſe gladio pungit uterque ſuo.
Vidi ego iactantem ex ouo ſe Caſtoris ortum,
Arcadicoſque ſuos qui numerabat auos.
Nobilis in cleri collegia dira tonare,
Atroceſq; truci proijcere ore ſonos.
Immemor inde ſuos atauos duxiſſe ſuperbum
Et genus, & quicquid nobilitatis habet.

Vidi

Vidi etiam agricolas decimas, & parua negantes
Debita cœleſti ſoluere uota deo.
Quos nunc cum decimis, animas, & corpora oportet
Ponere dæmonibus, tartareiſque Dijs.
Dum pudet ergo deo officium præſtare benigno,
Plutoni obſequium, moſque gerendus erit.
Ocia dumq; affectamus liberrima uitæ,
Piſtrini in medias præcipitamur aquas.
Sed dum quiſque ſuam uerboſam iactat inani
Ore fidem, non eſt quæ beat ulla fides.
Vlla nec antiquæ fidei ueſtigia reſtant,
Cum mala non quo plus progrediantur, habent.
Denique nullus honor, nulla eſt reuerentia Chriſti,
Scilicet eſt tantum Chriſtus in ore frequens,
Et tamen ille minus colitur, quam læditur ore,
Vt pura tantum mente colatur, abeſt.
Libera ſola placet curis & uita ſoluta,
Impia laudatur, ſit modo uita noua.
Aeternamque ſibi promittit quiſque ſalutem
Et uitæ autorem ſe putat eſſe ſuæ.
Tollitur é medio templorum (ſi qua ſuperſunt
Templa) deus, Cereris præficiturque gener.
Et quo caſta dei genitricis fulſit imago,
Hoc proſtant Veneris turpia furta loco.

Nec tantum ſimulachra crucis cæduntur Ieſu,
Sola nec expuitur rurſus imago dei.
Quin & cœlitibus (piget illa referre) per artus
Altera detrahitur, diripiturq; cutis.
(Aurea ſi qua modo gemmis ornata ſuperbit,
Robora nam ligni Mulcibere igne domat)
Scilicet innumeri Syculi rediere Tyranni,
Quos ſimulachrorum ſplendida forma rapit.
At mirum non eſt, fidei tot ineſſe recenti
Commoda, tot fruges, tot uel ineſſe bona.
Quippe fidem uacuam docuit qui primus amore,
Nulla deo docuit quod ſit habenda fides.
Iuratamq; fidem, Chriſto promiſſaque uota
Fregit, & inferni iuſsit adire nothos.
Primus & eſt autor ſpoliandi templa deorum,
Pelliculamque ſuo nec ſatiare cibo.
Reddite fatalem raptores reddite prædam,
Illa Toloſſanæ ſe ſtipis inſtar habet.
Hactenus á ſacris omnes periere Tyranni,
Qui non ſacrilegas abſtinuere manus.
Si leges hominum, ſi non mortale timetis
Supplicium, at ſuperos, oro, timete deos,
Certa manet diuina reos uindicta nocentes,
Sera uenit quamuis, ultio certa tamen.

Non

Non ſic, non, moneo, ſic cœlica regna petuntur,
Præda redemptoris non fuit illa tui.
Expulit hic loris, ſacra nec paſſus in æde eſt,
Fœnore fœdantes templa dicata deo.
Quæ tu non uiolas tantum immaniſsime prædo
Aere tuo, at ſpolias, deſtituiſque ſuo.
Eruis, atque imo ſubuertis ab inguine terræ,
Si non tartareis uſibus apta facis.
Omnes eſſe deum uenerandum uno ore fatemur,
Inter inhumanos ut latro quiſquis agat.
Omnes diuinos tamen irridemus honores,
Et tibi Petre tuos depopulamur agros.
Aligeroſque dei libet exturbare miniſtros,!
Atque ipſum ætherea pellere ab arce Iouem.
Sed quid plura? Nouum ſcelus occupat omnia, mundus
Nil niſi crimen habet, mundus & ipſe ſcelus.
Spernimur á recto, turpi laudamur ab actu,
Nobilior, quanto turpior, eſſe potes.

VATICINIVM.

EHeu uicta iacet placidæ clementia pacis,
Marte potens ſæuo bellicá uirgo furit.
Cuius ubiq; furor pluſquam ciuilia bella,
Interitumque tibi Teutonis ora ciet,

O ni-

O nimium felix, nimium Germania nuper
Fortunata, tuo robore uicta cadis.
Auguror exitium, poſtremaque funera uates,
O utinam falſus, ſanguinolenta cano,
Quæ modo totius mundi Regina fuiſti,
Et timor externis gentibus, atque tremor.
Vltima iam pateris, iam de te buſta loquentur,
Iam dabis ignoto colla premenda iugo.
Inconſueta feres, ſed pœnam crimine dignam,
Et tua cum culpa pœna perennis erit.
O mores hominum peregrinos, ô noua Chriſti
Dogmata, relligio, ſecta, fideſque noua.
Affertis patriæ nos hæc incommoda noſtræ,
Eſtis & iſtius maxima cauſa mali.
Exuit ut primum proauûm Germania ritus,
Exuit & patrium robur, & ingenium.
Degenereſq; animos ſimul induit, intus & extra
Contemptrix superûm, Cæſaris atque ſui.
Impius hinc Gothus quid non molitur iniqui?
Contendit uicijs regna ſubire poli.
Pollicitoſque fide, multoque labore beatos
Extorquere deo nititur enſe locos.
Affectatque tuum diadema, & regia ſceptra
Carole legitimo iure tributa tibi.

Non

Non ſecus, ac olim ſoboles manſtroſa gigantum
  Auſa eſt de ſupera uellere ſede Iouem.
Cerberus aut ueluti lumen cœleſte peroſus,
  Indixit domino bella ſuperba ſuo.
Sic quoque ſub falſa ſpecie uirtutis honeſtæ
  Gothigenæ aduerſus iam coiere deos.
Conanturque Iouem ſolio detrudere ab alto,
  Cæſar & imperio te ſpoliare tuo.
At pater omnipotens diſiecto fulmine Olympo,
  Vt cum mole ſua pondera ſtrauit humi,
I ꝛiſigum ut ſtygijs elatum merſit in undis,
  (Sic maieſtatem, ſic ſua regna tuens)
Sic hos Cecropes furioſo ex ſemine cretos,
  Gothorum in Stygij tartara Ditis aget.
Veſanos homines diuini nil ſapientes,
  Sed quos graſſandi ſola libido rapit.
Qui terram oceano miſcent, & ſacra prophanis,
  Suſque ferunt, & qui ſingula Deq; ferunt.
Sanguini & humano qui non ſecus inſidiantur,
  Quam ferus Antiphates, quam Diomedis equi.
De quibus ante tamen tu Heroum ô maxime Quinte
  Magne pater patriæ, clara trophæa feres.
Nullius alterius diui auxiliaribus armis
  Summus eget, nullo conſilioq; tonans.

Per te conficiet tanti molimina belli,
Anguipedum ſolus Carole uictor eris.
Ac uelut Alcides Lernæam ſuſtulit hidram,
Vltima ſic tibi ſunt illa domanda mala.
Dextera Clauigeri bis ſex portenta ſubegit,
Cum quibus impleuit quotquot in orbe ſinus.
Buſirim domuit turbantem ſanguine templa,
Perculit Harpyias, Arcadicumque ſuem.
Hyppolitenq́; ducem ſpoliauit Amazona telis,
Et uitam geminis anguibus eripuit.
Cornua tum ceruo, tumque aurea poma Draconi
Abſtulit, exitio nubigenaſque dedit.
Nec non horribilem Cacum, Antæumque ferocem,
Multorum & capitum contudit illa feram,
Tergeminumque canem, & tria corpora regis Iberi
Strauit, & immenſi ſuſtulit aſtra poli.
Denique diripuit Temeuſia terga leoni,
Omnis quem numerum ſumma laboris habet.
Fecit idem Theſeus, & qui tua Symbola Quinte,
Aurea per medium uellera uexit aquæ.
Et plures alij preſſerunt cornua tauri,
Ordine quos omnes longa referre mora eſt.
At ſine tu numero Stymphalia monſtra, Chymæras,
Semibouesque uiros, Centimanoſque necas.

Monſtra

Monſtra quidem, ſed uera quidem uaſtantia totus
Pelle ſub humana quicquid hic orbis habet.
Sed tuus ut maior labor eſt, ita gloria maior
Herculea, merces & tua maior erit.
Ille prior poſuit geminas in fine columnas
Heſperiæ, ulterius non ratus eſſe ſolum,
Vltra tu poſitas extendis in æquora Cæſar
Imperium, penetrans non loca nota prius:
Vincis & inuictum, inuidiæ qui uulnera ſolus
Suſtinuit toties, Carole Magne, uirum.
Maior es inuidia, & magno ſic Hercule maior,
Maior es inſidijs, maior es hoſte tuo,
Gentiliſque tui ſuperans cognomina Primi,
Carole Maioris nomine dignus ades.
Rebus enim geſtis es magno Carole maior,
Conueniens factis nomen habeſque tuis.
Palma ſed ut contra ſe pondus in æthera trudit,
Quóq; magis premitur, hoc magis alta petit.
Sic tua ſe uirtus aduerſus in ardua tollit
Inuidiam, & ſummo creſcit ab hoſte ſuo:
Sed quæ lingua tuos ſatis exornare triumphos,
Virtutiſque tuæ dicere poſſet opus?
Non mea ſit licet in linguam mutata Maronis,
Et Latij eloquij principis ora forent.

Si tamen augurium fas eſt mihi dicere de te,
Ac arcana dei detegere ore ſacro.
Auguror, & liceat uati prædicere uera,
Atque referre bonis indubitata uiris.
Sponte rebellantes Germanos Carole uinces,
Quique tui imperij finis, & orbis erit.
Flumina quæque prius nullis traiecta fuère
Principibus, fauſto milite tranſilies.
Fœlices animæ, quibus illo tempore naſci,
Contigeritque ſui ducere fila coli.
Aurea tunc ætas, & Saturnalia regna,
Enthea tunc iterum mens reditura reget.
Alter & integro uoluetur ab ordine cardo,
Magnanimi Auguſti regna ſecunda ferens.
Omnia plena bonis, ſunt Cæſaris omnia plena,
De grege tunc noſtro forte poeta canet.
Viuat Io Cæſar patriæ (de more Quiritum
Clamabit populus) porta, ſaluſque meæ.
Viuat Io uiuat magni cognominis hæres,
In Pylios annos Carolus uſque meus.
Viuat & Auguſtus fidei ſpes unica noſtræ,
Augeat imperij culmina ſancta ſui.
Tum demum Actiaci confecto murmure belli,
Claudetur gemini bellica porta dei.

Rurſus

Rurſus & ieclo Turcarum ex orbe Tyranno,
Sancta Paleſtinæ Carole templa coles.
Cæſareamque noua ſtatues tellure futuram,
Mœnia ſulcando nomine dicta tuo.
Qui ſtatus imperij ſeros durabit in annos,
Illius atque tui ſceptra nepotis erunt.
Plura loquuturo folijs Cumæa Sybilla,
Euandrique parens obſtrepuere ſuis.
Non etenim fas eſt quid poſt tua fata futurum
Pandere, cum tellus te ſatis uſa fuit.
Ecce tamen trepido Cyllenius aſtitit ori,
Talia de ueſtro numine uerba canens.
Carolus ut Maior totum pacauerit orbem,
Omnis & hunc dominum gens habitura ſuum eſt.
Parte ſui meliore ſuper tunc æthera uectus,
Inter cælicolas conſpiciendus erit.
His ſimul effatis, Maia ſatus, inde poetæ
Ante meam faciem occuluere ſuam.

FINIS.

Ad Lectorem.

Ante triumphantem, dices, encomia garris,
Parcius hæc quamuis poſt memoranda forent.
Aſt ego uaticinor, tu uati uaticinanti
Crede, ſuam ſunt hæc ſic habitura fidem.
Crede mihi fauſtus ſic exitus acta probabit,
Conuenient dictis facta futura ſuis.

VENERANDO
ET NOBILI VIRO, DOMINO
Valentino Groß á Trockau, Eyſtetenſis, & Auguſtanæ Eccleſiarum Canonico, domino ſuo obſeruando, Iacobus Kybelius. LL. D. S. P. D.

QVæ mihi Teutonico donaſti ſcripta Valente,
Accipe iam Latio carmina uerſa ſtylo.
Teutonis autoris poſiturus nomen, ut æquum,
Si non illius me latuiſſet, eram.
Sit tamen ille tuus quocumque poeta notatus
Nomine, Cæſareum plane poema placet.
Quod quia Cæſareum numeris utcumque coactis,
In, quantum potui, uerba latina dedi.
Sed non immerito, cum fœnore dona remitto,
Maxima cum tu ſis Cæſariana cohors,
Cum tua ſæpe mihi dederitq́ in carmina uires
Muſa, uel ingenio ſemper amata meo.
Quam precor, ut ſoſpes cum Cæſare ſoſpite uiuat
Neſtoris in longos non moritura dies.

K Kaingwalt auff diſer erdt bleibt veſt / der ſich
Von Got regieren vnd leytten. (nit leſt:
Dann Got der iſt allain der Herr / dem preiß vnd
Gebůrt zů allen zeitten. (eher.

Dem

Dem ich mich ergeb/ſo lang ich leb/in ſeinē ſchutz/
Wirt ſelbs für mich ſtreitten.(dē feind zů trutz.
Corruet inſtabilis terrena potentia, quæ non C
A Ioue diuina rite regatur ope. A
Rector enim deus eſt, & ſola potentia mundi, R
Omnis quem laus & gloria ſola decet. O
LV ce fruor, donec cuius me dedo potenti LV
Subſidio, ut pro me pugnet, ut hoſte fremas. S
All Künigreich vñ Fürſtenthumb/ jn einer ſum/ A
Die mir Got hat gegeben.
Befilch ich all in ſeinē ſchirm/ob gleich die würm/
Vnd feindt thůn widerſtreben.
Got kēnt ſie wol/der ſie bald ſoll/machē zůnicht/
Die vngehorſam leben. (durch ſein gericht/
QV æ mihi regna dedit, quotquot ſunt omnia ſemper QV
Illa deo mando, ſubijcioqꝫ meo. I
Nocte, die, quamuis in me uæſana malorum N
Turba ruant hominum, quæ tibi nota deo. T
Verteris in cineres tamen hos mox lege ſolutos, V
Subijcies dextræ iudicioque tuo. S
Recht will ich fůrn dem Herrn ſein ſchwert/auff R
Wils nit on vrſach zucken. (diſer erdt/
Dann nur zůr ſtraf der böſen leüt/die ſich all zeit/
Befleüſſn aller tucken.
Durch fräuenlichen gwalt/in liſt manigfalt/be
(weiſen than/den armen man/
Mit Tyranney zůdrucken.

COGN *COGNitus ut dudum ſum, quem mihi tradidit enſem*

OM *OMnipotens, iuſto non niſi Marte geram.*

E *Enſe malos feriam, quorum temeraria dextra*

N *Non niſi proſtratos, & ſine fine premit.*

T *Tendit & inſidias, & egenis retia tendit,*

O *Omnibus & quorum nota Tyrannis obeſt.*

O On allen fůg häßlich vñ doll/deß neids ſein voll/
So mein volck thon beſchwären.
Dem will ich wol zů ſeiner zeit/jrn haß vñ neydt/
Durch Götlich hilff thůn weren.
Obs ſich verzeücht/mein Got nit treugt/er iſt ge
(recht/ich bin ſein knecht
Es kan ſich bald verkeren.

M *Mente tument ſtolida, furioſaq; pectora geſtant*

A *Aduerſus populum qui coiere meum*

I *Ipſe tamen tumidos odio, rancore, uel ira,*

O *Omine diuino ſubueniente premam.*

R *Rota licet tarde, tamen hæc ſe in tempore uertet,*

Certus enim deus eſt, ſeruus & ipſe ſuus.

L Lang zeit geborgt iſt nit bezalt/wie magnifalt/
Meins namens feindt thůn trutzen.
Wirt ſchō gerochē one ſpot/ ich trawe meim got/
Der mich haißt frumbkait bſchutzen.
Dañ er mir ſei ſchwert/auf diſer erd/ zů recht hēck
Zů hilf dē gemainen nutzē. (an/vñ will es han.

R *Reſtantis ſummæ mora longa, ſolutio nulla eſt,*

OM *OMnia fert ſecum mox reditura dies.*

Arte

Arte licet, quare, uaria me nominis hoſtis A
Noſtri perſequitur, præmia at æqua feret. NO
Romuleo quando nobis præcingitur enſe R
Vmblicus, qui me plectere iniqua iubet. VM

Vor zeitten da das Reich noch war/iſt offenbar/ V
In ſeinem ſtand vnd weſen.
Da war kain gwalt/auf erdt ſo ſtarck/ kein feind
Der vor jm mocht geneſen. (ſo arg/
Was iſt dann die ſach/das es nun ſchwach/es
(kompt darnon/das jederman/
Seins Ampts nit thůt verweſen.

IMPErij quondam fuit ut ſolidiſſima uirtus, IMPE
Robora nil hoſtis, nil ualuere doli. R
At quæ ſit ratio iam deficientis in illo A
Tempore, ſi cauſam quæritis, illa ſubeſt. T
Officio toto quia nemo fungitur orbe O
Rite ſuo, ſoli tum ſibi quiſque placet. R

Seins gfallens jetz ein jeder lebt/vñ widerſtrebt/ S
Kain ghorſam iſt auff erden.
Ain jeder will ſelbs richter ſein/vñ denckt allain/
Wie er mög gwaltig werden:
Solchs mag nit beſton/můß bald vergon/es iſt
(kein gwalt/der Got gefalt/
Die ſein volck thůn beſchweren.

Captus amore ſui, uiuit ſine legibus omnis, C
Affectatque ſui iudicis officium. A

 Et tan-

E Et tantum quærit quouis diteſcere pacto,

S Stare diu quæ res mox peritura nequit.

A Acceptata deo cum nulla potentia ſit, qua

R Rumpuntur populi uiſcera & exta ſui.

D Der fünffte thail der welt jetzund / iſt klar vñ
Lebt nit nach Gottes gebotten. (kundt/
Was vnſer vorfarn haben geſtifft/acht man jetz
Die welt thůt damit ſpotten. (nicht/
Die welt iſt blindt/der Glaub verſchwindt / es
(bleibt kain lieb/in ſtetter yeb/
Bey allen ſecten vnd rotten.

GE G Ens humana, liquet, totum diſperſa per orbem,

R Rara, nec ex quinta numina parte colit.

MA M Aiores noſtri, & quicquid ſtatuére parentes,

NI N Il niſi ludibrium quilibet eſſe putat.

C Cæcus enim mundus fidei nil lumina cernit,

VS V Sque adeo & ſectæ nil pietatis habent.

R Römiſcher Kaiſer gwalt vnd macht/ward groß
Da noch war lieb vnd trewe. (geacht/
Daſſelb hat ſich nun jetz verkert / all ſtund ſich
Es iſt kain bůß noch rewe. (mehrt/
Es ſeind all ſtēd/verfůrt verblēt/ aufrůr regiert/
Das dwelt iſt vngetrewe. (dieſelb gebůrt/

AV A V guſti fuerat reuerenda potentia regni,

ST S Tabat ut humana cum pietate fides.

RI R Ite nihil ſed iam ſine & ordine cuncta geruntur,

A Augeturque nefas omne, quod orcus habet.

CVlpæ

CV lpæ nec ratio eſt, ſtatus & ſeducitnr omnis, CV
Seditio quoniam pernitioſa regit. S
Zů allen zeitten hat es Got/on allen ſpot. Z
Verordnet vnd verſehen.
Das vngehorſam bring ſein ſtraf/durch Götlich
Vnd die die herrſchaft ſchmehen. (Rach/
Den zaigt dz glück/all ſein dück/dz iſt mein troſt/
Gwiſzlich würt es beſchehē. (ich werd erloſt/
Supplicium cuncti ſuperis, pœnaſque dederunt, S
Ex odio in dominum qui fremuere ſuum. E
Maieſtas etenim cœlo dependet ab alto, M
Perſequiturque malos ſors quoque ſæpe uiros. P
Eſt igitur ſpes hæc, qua me conſolor in una, E
Rupturum iam iam uincula noſtra deum. R
Merer deſz Reichs biſz an mein todt / ſo war als M
Will ich ſein vnd beleiben. (Got/
Ob ſchon mein feindē iſt faſt layd/ich bin berait/
Vmb Gottes willen leyden.
All ſchmach vnd ſchand / Got iſt bekant / der für
(mich ficht/durch ſein gericht/
Würt er ſie all vertreiben.
AV Guſtus ſacri Imperij, per numina iuro, AVG
Vſque manebo, mea deum gero ſceptra manu. V
Succeſſu liceat noſtro marceſcat opimo S
Turba inimica, deo ſed duce cuncta feram. T
Virtus nota dei pro me pugnabit, & huius V
Supprimet hoſtiles dextera longa manus. S

Erratū, quod oculos fefellit, ē a. 2. fa. 2. uer. 6. ubi pro pepulaq; nolunt, reſtituito, populoq; uolūt. Cætera minutiora ſūt, quā q́b9 emēdādis multū opæ impēdatur.

Z
1158. 4

99 962569